



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm Ecclesiae Mediolanensis Decas ...**

Decas Prima

**Ripamonti, Giuseppe**

**Mediolani, 1617**

Liber Qvintvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11209**



IOSEPHI  
RIPAMONTII  
EX DOCTORIBVS  
COLLEGII AMBROSIANI  
HISTOR. ECCL. MEDIOL.  
LIBER QVINTVS.

**P**OST Theodosium, Honorius cum fratre diuisis opibus regnat; sub cuius initia, Mediolani res accidit ad diuini iudicij significatione illustris. Cresconius de plebe homo, cum forte vocaretur in iudicium, neq. se innoxium argui satis confideret; in Ecclesia delitescere ad certum diem. Consilium erat ei, prouisis, quæ tempus monebat, uertere solum, & quodquomodo tueri libertatem & vitam. Hunc ex Ariana sece milites [manebant eius nominis reliquias, & olim deleta secta reuiuifcebat] certo ludorum die, cum rota inspectaculum obuersa ciuitas esset, abripere sacro loco per occasionem, & in vincula statim

mutat

si

conie-

conicere, reclamante nequicquam Ambrosio, quosue Ambrosius ad eam prohibendam iniuriam exciuisset. Id fecerunt infito Catholicæ religionis odio, quam, veterum Arianorum haud abfimiles, omnibus dedecorare modis conabantur, & Eusebij Tribuni militum auctoritas accedebat. Facinore hoc perpetrato, vadunt inde alacres ad ludicrum, & sacrilegio contaminati, sese cæteris immiscent. Venatio taurorum erat, & quæsitæ magnitudinis molossi, iam cruore ferarum, iam vulneribus suis irritati, tota discurrebant cauea prout bestia fugitantes aut occurrentes inuitarent. Hi sese confestim, omissis feris, in Ecclesiæ violatores eiaculantur, & rabie arreptos maiore, quam quanta paullo ante cum tauris in mutuum implicati perniciem populo spectaculum fuerant, fœda laceratione discerpunt, exemplo memorabili, ne quis auderet in posterum temerare, quæ sacra sunt & sancta. Stiliconem exercitus præfectum, huic affinem culpæ tradidere quidam, neq. tantum scelus ausuros fuisse milites, nisi, vel mandasset ille nominatim, vel ex tacita propensione coniectantes, pro imperio voluntatem ipsius habuissent. Ut ut sit [nā hoc loco variat historia] certe constat dirarum horrore perfusum hominem, Ambrosio supplicasse, ut placaret iratum Numen, & super cætera piacula, restituisse Cresconium in eam sedem, unde fuerat detractus. Non tamen ob ea, cælestes iræ quievere, illapsu Dæmonum, & lue morborum affligente corpora, donec iterum exoratus Ambrosius, suis à Deo precibus domui pacem impetraret. Per eos dies Regina Marcomannorum, cui nomen Fritigil cum ex homine Italo, qui fortè negotia-

batur

batur in ea terra, de Ambrosij laudibus accepisset missa  
Mediolanum ad Pontificem legatione cum regalis opu-  
lentię donis, postulauit, vt monstraret sibi salutis viam,  
exponeretq. præcepta vitę. Et ille cernens, hoc aditu  
pandi portam ingentem Euangelio, cupide occasionem  
arripuit, amplexusq. commentariolo totam Christianę  
disciplinę summam, ea institutione & catechesi Reginã  
ad Christum adiunxit, quo negotio Romanum imperiũ  
est firmatum, exorato & pacato per vxorem Rege. An-  
tea pacem & fœdus abnuerat, nec alibi magis proiectũ  
ac vile Cæsarium nomen. Ambrosius his diuinis, & hu-  
manis editis operibus, actaque per tot casus vita iam ad  
finem appropinquabat; & antecessere multa, quę immi-  
nentem eam populo Mediolanensi, orbique terrarum  
vniuerso calamitatem aperte denuntiarent. Quia  
etiam ipsi sibi Mediolanenses, nõua quadam admira-  
tione ac pietate in eum excitati, triste orbitatis omen  
fuere. Quacunque incederet, sese ad spectaculum  
effundebant, & gratum adspectum velut extremum  
illud contemplaturi, pro se quisque auidissimè vsurpa-  
bant, neque inde poterant oculos deijcere. Terrarum  
quoque proceres, viri desiderium intrabat, quantum  
nunquam antea significassent. Ipsa quoq. Regina Mar-  
comannorum obsequio tam prompto perculerat al-  
tius coniectantes, et mistum occulto dolore gaudium  
attulerat vrbi, cum posceret ab eo vitę normam, eique  
rebellem antea maritum in Ecclesię Catholicę sinum  
offerret. Nec multò postea Gaudentius vir inclitę  
sanctitatis, & venerabilis miraculo spiritus vaticini,  
clare ac disertè rem pronunciauit. Cũ enim re-

diens fortè Vercellis Ambrosius Nouariæ ipsum inuisisset, atque monuisset instinctu diuino, quemadmodum breui futurus esset Episcopus illius vrbis; accipere se omen respondit, impleturumq. diuinam voluntatem; sed ægre ferre, quòd nequaquam ab ipso consecrandus foret. Ea vox diuulgata per prouinciam, exspectatione tristi suspensas vrbes tenebat. Ut verò palam ipse suis edixit, pauculos adhuc superesse dies, notauitq. tempus, quo migraturus esset è corpore, ea comploratio est cõsecuta, vt si mortuum in conspectu parentem haberent. Paulinus erat ex Ambrosij familia vir grauis, qui hæc ipsa litteris mandauit. Is rem tradit admirandam, quæ euenit Pontifici, paulò ante quàm incidere in morbum, ex quo non conualuit. Fulgorem scilicet igneum ad parmulae figuram, illius infedisse capiti, qui fulgor, cum sese paulatim in os infinuasset, faciem illicò totam, in colorem concessisse niueum, & se, qui forte aderat, excipiebatq. dictata, perfusum horrore, non potuisse contra deinceps intueri. Postquam, Ambrosium periculoso morbo languere percrebuit, veniunt ad eum principes ciuitatis, & obtestantur, vt quoniam Ecclesiæ dignitatem ac salutem, in suo vnus capite verti nõ ignoraret, ne subduceret se tam alieno tempore. Preces funderet ad Deum, & moram adhuc longiusculam impetraret firmandæ religioni. Extat Ambrosij memorabile responsum; cum quo legationem hanc dimisit. Id referemus iisdem verbis, quibus ab ipso prolatum grauissimi scriptores tradidère. Non ita inter vos vixi, vt me pudeat viuere, nec mori timeo, quia dominum bonum habemus. Ab hoc responso plena omnia desperationis fuere, & Stilico, de

co, de quo antea memoravi, præcipue sollicitus erat. Is non destitit miserari calamitates & damna, quæ Mediolanensibus imminerent, si decederet Ambrosius, cuius vita, & spiritu, non modò dignitas Ecclesiæ, sed etiã Reip. status contineretur vniuersus. Fertur idem vaticinatus esse ruina Imperij, & Italiæ clades eas, quæ postea sunt consecutæ. Scilicet hoc deprecatore sublato, nihil reliqui fore, quominus indignatio diuina suum veluti ius exsequeretur, & quanquam feras, debitas tamen pœnas exigeret. Ac Mediolanenses quidem ita erant animis adfecti, morbus verò quotidie magis ingrauescebat, & iam successor innotuerat in hunc modum. Adsidebant ægroto, Castus, Polemius, Venerius, & Felix Diaconi omnibus ex ipsiusmet disciplina. Hi rati, sopori se fortè hominem dedisse, summissa voce agitabant inter se, quis nã Ambrosio defuncto, locum ipsius adepturus esset, & cõsensu Simplicianum omnibus destinabant. Ad eam vocem, tamquam è somno excitatus Ambrosius, bonum verò senem, inquit, & hunc ipsum habebitis. Id vaticinium tota statim vrbe diuulgatum est, iamq. deplorato Ambrosio, preces & vota multorum intenta in hunc vnum erant. Neq. finis interea signis & miraculis, quæ moribundi Pontificis sanctitatẽ, & carum Numini caput nobilitarent. Maxime insigne omnium fuit, quod à Bassiano Laudensium Antistite proditum accepimus. Aderat is officij causa, iungebatque diem nocti precibus vna cum ægroto fundendis, non secus atque si foret ipse, quoque momento temporis eodem abeundum. Vidit autem clarissimo lumine circumfusum Christum, qui solaretur Ambrosium benigno vultu, & speciem quandam

dam suauissime arridentis præberet. Hoc primis diebus hebdomadæ sanctioris acciderat. At, die sabbato, qui rediuiui Christi celebritatem antecedebat, Vercellensis Antistes Honoratus nomine, cum in superiore ædium parte sollicitus exitum exspectaret, missa de cælo, terq. repetita voce sub noctem est excitatus, quæ festinare ipsum iuberet; nam Pontifici horam extremam instare. Ille sine mora cum descendisset, inuenit Ambrosium, compositis in crucem manibus, & intenta meditatione paratum excessui. Excessit autem aliquanto postea cælesti refectus pane; & populo Mediolanensi tristi sui desiderium reliquit. Situs est in Martirum Basilica; clauditque miraculis, non apud suos modò, sed quacunque fines christianæ religionis pertinebant. Sed celeberrimum illud fuit, quod ipso funeris die est animaduersum. Nam, vt quique maxime amplexi fuerant viuentem, & præcipuum ex illius consuetudine fructum tulerant, ijs passim est obuersatus ea forma & habitu, quo fuisset, antequam extingueretur. Alius contemplari sedentem, in templa vadentem alius, quidam etiam verba facientem audire. At Monachi ad orientem solem præcipue sanctitatis, illum eodem die secum habuere fungentem omnibus officijs, quod postea testari litteris, & affirmare non destiterunt. In ipso autem funere, quod fremitu demonum, & hominum concursu clarissimum fuit, insedit stellata lux feretrum auctore Paulino, quem produxi, vt narratio nostra parem admirationi fidem haberet. Dies funeris, silentio vastus, aut plorantibus inquis fuit, attonita ciuitate, & icæta velut orbitatis metu. Scilicet excelsum illum animum, illamque

nesciam

nesciam humanæ labis vitam, tot afflictamenta, tot labores, & quemadmodum alieno nimis tempore fuisset ereptus, in sermonibus & querelis habebant. Deinde ad ipsos miseratione conuersa, quis in tanta rerum hominumq. varietate, tantisq. prouinciæ casibus, & discordi semper vrbe, id sustinere regimen, pariq. vel cura, vel constantia, vel felicitate publicam gubernare salutem posset, conturbantes alij alios percunctabantur. Nec deerant, ex veterum ceteraminum contagione, fautoribusque Romanæ superstitionis, queis lata mors Ambrosij, vel certe non acerba. Inter hos varij sermones fuisse, plerisque criminantibus dominationis auidum, & vulgata calumnia, male fidum imperio, & egressurum haud dubie fines Ecclesię, si diutius vixisset; alijs praeue pertinacem, & in religionis causa nescium modi, nec ultra quicquam affectasse. Memorabantur quoque beneficia in Valentinianum, & paternam iuuenis cura, scilicet, vt hostium impetum, & arma retardasset, vt prohibuisset ciuium fugam, vt denique difficillimis imperij temporibus, id columen, id subsidium vrbs Mediolanum habuisset. Rursus erumpebant inimicæ voces, & cauilli; turbasse seditio- nibus vrbem; cum famina gessisse bellam, insultasse Theodosio, quæue alia temporibus Arianis ab illo gesta fortiter & præclare, iniqui ad inuidiã traherant elinguiam ac muto Põrifice, cuius ne sustinere vultu quidẽ possent. Et gliscete licentia in mortuos viuosq. quidam incusauere segnitiam Cæsarũ, et fatale probũ imperij, quod seditiosi, vt aiebant, Pontificis, extremam senectã obitũq. mitẽ expectassent. Mox illa politica prauitas & licentia



licentia cohibita est atroci diuinitus exemplo, cuius terrore deinceps temperauere linguis. Donatus erat in Clero Mediolanensi Africanus natione, turbidus homo, & asper, ingeniumq. barbarum retinens etiam post multa Pontificis beneficia, nec adeptus quicquam ex cultu ac humanitate prouinciae. Is apud gregales in conuiuio forte cum esset, orto sermone super Ambrosij rebus & vita, toruis aspicere oculis primo, quater caput, abnuere truculento vultu, ut quisq. molliter, & honeste aliquid de amissi pastoris desiderio, deq. magna illius sanctimonia, & virtute dixisset. Inde cum ea iucundissima sermonis materies, longius inter epulas extenderetur, & nonnullis etiam erumperent lacrimae, paulatimq. conuiuium occuparetur, luctu, iecit ambiguas in Ambrosium voces. Has aliquis redarguere seuerè, & amice: non nemo cum iurgio. Incaluerat Afer, mero simul & ira, quantoq. magis increpabatur, tanto acrior inuehi, & iam instrumenta mensae, tela in ipsum destinabantur. Sed anteuertit Numen, occultoq. caelitus vulnere percussus barbarus in mortem, dedit exemplum, quo multi deinceps ad obloquendum inhorruere. Hoc acciderat Mediolani. At Carthagine, Mauranus Episcopus, accumbente simul praeter alios Paulino, cum, vel intemperantia linguae, vel libertate conuiuij, vel nota inter magnos viros aemulatione sollicitaret Ambrosij memoriam haud obscuris maledictis, pari poena, & miraculo est defunctus. Sic Deus ostendebat aequis, & iniquis, quam esse de Ambrosij moribus, & vita, publicam existimationem oporteret. Non interfuit ipsius gloriae quid ab vlllo mortalium diceretur. Vir fuit, praeter,

ter memorata iam decora, viuace, quantum haud facile  
 quisquam ingenio, & liberratis inconcussæ, quodq. mi-  
 rari liccat, inuenit ea morum parte gratiam apud super-  
 bos Regū animos, infuetosq. vera audire. Scilicet emi-  
 nens cura diuini cultus, & humanæ salutis amor, rem  
 inuidiosam illi vertebat in fauorem; neque quisquam  
 vnquam adulando, & blandiendo tam placuit, quàm  
 ille castigando & obiurgando. Constat Valentinianū  
 superiorem, cū ab eo liberius increpitis fuisset, adeo  
 non esse perturbatum, vt maiore quàm antea caritate,  
 & honore deinceps eum amplecteretur, ac vitæ magi-  
 strum atq. moderatorem ipsum vltro deposceret sibi.  
 Id nimirum accidisse debuit facta significatione magni-  
 tudinis animi, qua cū longe supergressus esse mortali-  
 tatem videretur, vicerat simul incōmodos rumores & su-  
 spicionum inania, poteratq. ceu non anxius sui, corrige-  
 re vitia, proferre terminos Ecclesiæ, pergeret utum Apo-  
 stolicæ libertatis iter. Apud exteros quoq., magnum  
 nomen illi, & cū domi tantus esset opinione virtutis,  
 foris haud dubie maior habebatur; vt etiam ex Perside  
 legati venerint ad ipsum de maximis Imperij rebus, si-  
 cuti Paulinus tradit. Et Regina Marcomannorum Fri-  
 tigil admiratione viri profecta Mediolanum vsque, cū  
 suæ salutis auctorem inuenisset extinctum, ingemuit cla-  
 di. Pecuniam, et gloriam & propinquos, et suum ipse  
 sanguinem ac vitam, quarum rerum cura franguntur  
 etiam ingentis animæ, sic habebat, vt pauperum alimē-  
 ta, materiem laborum, disciplinæ alumnos, instrumen-  
 ta virtutum. Non Satyrio fratri, non Marcellinæ sorori  
 dominatus alter, inter iras et certamina minari operæ

T t

pretium

pretium duxit, et ultro iugulum offerendo, semel ipse  
 perfecit, ne crederent amplius posse animum suum vlla  
 periculorum denuntiatione terreri. Sed nec temere  
 quarebat pericula, vimq. suam; et conatus extremos,  
 referuabat extremis rebus, magnopere attentus in id ip-  
 sum, ne minima, queq. acriter exsequendo, leuior ad  
 maiora vindex foret. In munerum atq. prefecturarum  
 distributione placuit illi semper æquabilitas, et dedit, ne  
 alios ornando, post habuisse alios videretur, cuius quidē  
 instituti præter cetera fuere, satis illustre monumentum  
 è septem vrbis regionibus Ariano bello septem exerci-  
 tus capita, sicut memorauimus. Nulli præpotentes serui,  
 nemo gratiæ venditor, et arbiter aulæ; ipse breuis al-  
 loquio, non superbia, sed occupatione litterarum. Se-  
 xaginta quatuor anni viuendi spatium fuere; duos et vi-  
 ginti, et quatuor præterea menses nobis imperitauit.  
 Obijt pridie Nonas Aprilis ipso Paschatis die anno tre-  
 centesimo nonagesimo septimo, Casario & Attico Coss,  
 ferme triennio postquam Theodosius decessisset; qua  
 summa ne cuiquam temere fortasse videatur concepta  
 nititur Concilij Carthaginensis auctoritate ac testimo-  
 nio. Nam cum eius Concilij patres, ad Simplicianum  
 iisdem Consulibus, & eodem anno miserint ipsius con-  
 siliū atq. sententiam exquirentes litteras, haud ambi-  
 guus ex eo iam tenetur excessus Ambrosij. Arguit ea res  
 falsam, & inueteratam de Martini funere famam, cui  
 scilicet Ambrosius interfuerit alienata per ecclasiā mē-  
 re. Non potuit autem interesse, si quidem huic anno su-  
 perstes in plures adhuc annos ipse Martinus fuit; & fuisse  
 credere licet Seuero temporū illius æquali, potius quàm  
 Gregorio

Gregorio Turinensi tradenti diuersa, & aliena. Ambrosij finis & æuum sese in hunc modum habent. Quòd si formã quoq. illius, & imaginem ex nostris noscere litteris aliquis volet, statura corporis & habitu supra communem modum haud fuit, sed maiestate vultus, & frontis imperio superabat. Nasus oblongus ei, capillus propè flauũ, grãdes atq. viuaces oculi, ac exsequèdo subtilius veteris memoriæ reliquias, & ante tantũ temporis absumpta lineamenta, alterũ ei superciliũ elatius fuit. Sic nos effinximus ex vetere pictura, è statuis, è sigillis, ex eorũ quoq. litteris, & traditione, qui proximi temporibus illis potuere contemplari quam minime aberrantes imagines à vero, & natiuo. Reliquit otij fructus, & ingenij monumenta, non solũ ea, quæ hodie manibus hominum tærentur, quæue nomen & famam illius inserunt Latino Patrum Choro; sed alia complura, quæ scilicet perire, idq. damnũ Ecclesia numerat inter suos luctus. Ac in ea quidem iactura & naufragio, illud est etiam communi desiderio peracerbum, quòd nescitur, quatenus iniuriosa temporis licentia vim suam exercuerit. Scimus perijisse multa de scriptis Ambrosij, quantum verò perierit ignoramus. Non Catechismus ad Reginam Fritigildem, non alter ad Panfophium Catechismus, non in Prophetas, & Salomonem, & Paulum, non deniq. apparent alij commentarij, quorum extant nomina tantũ, & sparsæ per alienas litteras reliquæ; & hæc ipsa tamen essent in nulla vitæ vel noticiæ parte, nisi leuiter ac impressa fortè vestigia memoriã custodirent, Inde cæteram coniectare cladem licet. Sed & alia clades hanc Ambrosianæ gloriæ partem occupauit diu ac detriuit.

T. 2. q. 1. Nam

III

Nam pleriq. nec ingenio, nec sanctitate pares, siue ut hominum de se iudicia periclitarentur ex tuto, siue ut quasi tributū Ambrosio, praua & importuna liberalitate conferrent, vulgauere sub ipsius nomine sua scripta, que tamen ipsa detexit dies, & respuit, neq. fraudis pretium, aut meriti gratiā auctores tulerūt. An verò, neq. fraus illa, neq. inane meritum fuerat, sed temporis item iniuria, confundentis omnia suo iure ac permiscentis? Scilicet, par etiam olim fortasse grassabitur ac sæuiet in Ambrosium humane varietatis potestas, & hæc ipsa, que nunc manent nota omnibus, & incorrupta diuini hominis monumenta dies absumet, homines adulterabūt, poteritque tale tēpus, & ea rerū nox esse ut aliquid inde vindicare sibi quispiā ausit, aut frustratione pari sua illis immiscere. Inde consilium mihi, librorum Ambrosij, nō secus atq. rerum ab ipso gestarum, quandam hoc loco separatim historiā texere, eosq. velut exscriptos, & exsignatos adnumerare posteritati per temporum gradus, per scribendi occasiones, & initia, per nomina quoq. ac titulos, & varios eorū casus, veluti si ipsi quoq. forent Respublica. Ac primū omnium, quā in vniuersum formā scriptorum Ambrosij, quod genus illi, siue temporum, siue ipsius ingenio, placuerit, expediā. Dictio est æquabiliter fusa, & circumscripta leni comprehensione verborum; argumentis quoq. contorta frequentibus, & vibrans, plane ut ea videri possit imago temperate mentis, placidum inter, & seuerum, quale scilicet ingenium fenserē Pontificis, quorquor alterutram partē, modestia vel importunitate sunt experti. Membra & incisa velut articali crebro distinguunt orationem, non Auctoris, ut opinor, propria, sed communia temporum illorum, si-

cuti

enti nimirū Romanæ facundiæ quælibet ætās certā & suā  
veluti notā præfert. Latinitas ipsa, fluminis instar, modò  
pura & sincera, turbidior, & infecta nonnunquā manat.  
Ætatis id quoq; vitium & malū absque remedio. Quippe  
Romanus sermo iā dudū cœperat in peregrinas formas  
abire, iamq; ab nitore patrio, vñā cum imperij maiestate  
degenerarat in externū; neq; homines excellenti doctri-  
na, præstātibus ingenijs, exercitatione diuturna fregerint  
occultam vim reuocarintue decus antiquū ex quo retro  
sublati semel cœpit. Cæterū inest Ambrosij scriptis, mul-  
tū ex lectione veterū, & alicubi poetica quædam gratia,  
itēq; nonnihil ex Græco fonte, quippe cūm Basiliū artēte  
sit imitatus. Representat ac effingit ad viuum pleraq;, fa-  
tis vt appareat, hanc eloquētiae partem præcipuo quodā  
instinctu illū adamasse, passimq; scitissimæ descriptiones  
internitent. Cæteris verò luminibus & ornāmentis vtitur  
libenter, siue transferendo verba & commutando, siue  
rebus exponendis, quæ fere est artis summa. Ac incliti  
nōminis Augustinus, qui Marci Tullij Ciceronis contri-  
uerat libros, ipseq; adeo magister erat dicendi, hanc in  
Ambrosio facultatem admiratus, non alia ductus ille-  
gebria, cupidissime cōcionātē audiebat; sic ipse de se scri-  
ptum reliquit. Initiū scribendi fuit Ambrosio, Lucas ex  
Authōribus Euangelij, cūm ea historia magnopere de-  
lectatus esset, anno secundo postquā vocatus erat ad Ec-  
clesiæ gubernacula. Insequenti mox anno treis de Virgi-  
nitate libros absoluit, quo nimirum opere vulgato per  
terrarum orbem, amore decoris retinendi quā plurimæ  
virgines exarsere. Ac tāta fuit orationis violentia, vt ex  
Mauritaniæ finibus confluerent Mediolanum adolescen-  
tule, seq; Ambrosio velādas offerrent, ac solēni formula

iurantes

iurantes in illius verba, corpus obligarent Deo. Ex Placentino autem agro, & Bononiensi, cæterisque finitimis urbibus, tantò plures veniebant, quanto maior ex vicino concionum quoque sonus ad aures accidebat. Quippe flagrans Pontifex quotidie magis cupidine floris illibati, eamque in suorum corpora & animos inducere gloriam studens, præter edita iam scripta, sæpe verba faciebat in sententiam eandem, & à communi mortalium appetitu subducere populares in Deum conabatur, eaque Pontificis cura ciebat pectora, & mentes exterorum; Mediolani promouebat parum. Extant querula verba id ipsum ex postulantis Ambrosij, ac indignatione quadam exprobrantis Vrbi Mediolano, quòd efficax ad alienos oratio, Domi foret irrita & cæssa; quodque nonnulli suas filias vltro parantes nuntium remittere mortalibus illecebris, & in totum vitæ suæ tempus abstinere virili congressu, deducerent ab ea mente, tantamque suo sanguini, ac Deo simul iniuriam facerent. Virginum earum, quæ commotæ scriptis & concionibus Ambrosij, procul aberant à rebus humanis, aliæ paternis attinebantur laribus, & intra domesticos parietes inferendam celo gloriam alebant; aliæ viuebant adstrictè Monasterij legibus, & disciplina, idque librorum de virginitate pretium fuit. Haud multo postea maius argumentum incidit Ambrosio, vt de fide scriberet, occasione quadam huiusmodi. Gratianus Imperator, cum expeditionem fortè pararet in Gothos, vsus plane regio animo, voluerat antequam ad bellum exiret, in ancipites euentus Martemque communem disponere consilia, & res suas, præcipuaque cura spectarat humanæ vitæ finem, & salutem æternam; vt si

quid

quid ipsi tristius accidisset, de rerum summa non periclitaretur. Ita petit ab Ambrosio, vt certissima pandat oracula Catholicae fidei; cupere se per ipsum habere cognita omnia, & explorata. Duo de fide libri fuere statim in promptu; postea tertius accessit. Nec tam libri, quam vaticinium ea scripta potuere videri. Cúm enim operis initio, multúm laudata Cæsaris pietate dixisset Ambrosius, eos pios apparatus, & ea initia, moresq. secuturá esse victoriam; id nimirum euenit, fuisq; barbaris Imperator, domum ouans reuertit. Augebatur magnitudine rerum Pontificis animus, & quantò paulatim altiora tentasset, ferebatur in magis adhuc alta & excelsa. Scripsitq; mox de Spiritu Sacto, cù id pariter ex ipso mysteriù nosse Gratianus concupiuisset. Ea consummatae sapientiae fuit commentatio, neq; caruit inuidia, quæ magnarum rerù, & magnæ gloriæ indiuidua fere est comes. Transulisse Ambrosium ex alienis litteris in id opus pleraque mentiebantur, et vulgasse pro suis ea, quæ mutuatus fuisset; ipsumq; Hieronymum ideo scripta Didymi conuertisse in Latinum ex Græco, vt compilationem eiusmodi palam argueret. Inania hæc et falsa. Nam, et Hieronymus ipse Didymum fuerat interpretatus, aliquanto antea, quàm argumentum illud incideret Ambrosio; & quamuis Didymi liber minime dissimili sit argumento & forma, non tamen ea res arguit furtum. Potuere siquidem incurrere duo scriptores in eadem vestigia; neq. nouum illud; sed vetus malum alienæ laudis obtrectatores, dùm Ambrosij gloriam opprimere volunt, se suum dedecus augebant. Scilicet ijdem quoque causam, & initium præbuere Disputationi, qua tota res

IN-



INCARNATIONIS, est à Pontifice nō multo post explicata diuinitus. Voluerant, maleuoli homines, & à Catholicis institutis alieni, sicuti suo loco demonstratum fuit, obterere nomen & auctoritatem Ambrosij, idque tentarant obiecto nodo, quem protinus explicaret. Ille fraudem adspernatus, sumptoq. ad cogitandum spatio, publice tractauit rē primò, deinde litteris est persecutus. Ij quoque libri dicati Gratiano munus optatum. Et ista quidem scripserat Ambrosius ipso Pontificatus initio, vel certe nondum exacto quinquennio muneris illius; cetera prouectæ longius & iam confirmatæ dignitatis fuere; quæ quoniam recensere singulatim putidum sane ac longum esset, vtar compendio quodam & summa. Nec enim, vt superiora illa, possunt à nobis distinguere temporum ordine, notari casibus historiæ ritu, sicuti destinaram. Ea compendiaria nomenclatura sic absoluetur. Orsus à Mundi primordijs & creatione rerum, bonam veteris testamenti partem illustrauit; Hebraici generis negotia, carmina Dauidis, Prophetarum ambages, disciplinam et moralia Salomonis, explicando; eaq. duo sunt volumina. Tertium volumen alteri Testamento destinatum, præter memoratos iam antea commentarios in Lucam, consumitur explicacione litterarum Apostoli. Quartum habet ex multis generibus apte confusa varietas. In quinto sunt conciones variæ, prout festi sanctorum dies, et anniuersaria sacra recurrebant; sunt Epistolæ, sunt Hymni, duoq. separatim placamina cælestis iræ. Hæc est Ambrosij operis summa, vix inuentura finem, si quis eam digenere ac tribuere membratim in suos titulos paret. Nam quæcunq.

in

in Ecclesiastici oratoris aut philosophi disputationem cadunt, quæcunque sunt scribendi genera, vel dicendi, per ea omnia, viri huius ingenium est, peruagatum. Tractauit misteria, dogmata, vitia, virtutes, terras & cælum, vitam & mortem, animam, & corpus, bella, pacem, externa, domestica, controuersias, moralia, ciuilia, Historica quoque & poetica, modulando sanctorum laudes, & memorando varios Ecclesiæ casus; ac Ambrosij monumenta numerata nobis hætenus sunt. Nunc recensebimus aliena, quæ nomini ipsius adhæfere, quo in eo genere sunt libri de uocatione gentium; Liber ad virginem lapsam; Commentarius in Apocalypsim, & alia, quæ deinceps reijcientur. Liber ad virginem lapsam Nouatianæ prauitatis habet vestigia, quam nimirum oderat Ambrosius; adeo quidem, ut duobus de pœnitentia libris infectaretur. Inde constat opus esse subdititium. Dispar coniectura libros de uocatione gentium damnat. Lacesunt enim Pelagianos, qui post Ambrosij mortem extitere. Longobardorum item irruptio Pontifici longe posterior fuit, ut Commentarius in arcana Ioannis visa manifesto possit esse suspectus, quo in commentario ea terræ Italiæ calamitas memoratur. Possumus verò ratione non leuiori confutare cætera, quæ circum-

Vu feruntur

feruntur Ambrosij nomine , nec tractata illi  
nec nota ; Martirium Agnetis , Baptismus Au-  
gustini , ad Demetriadem Epistola . Quippe A-  
gnetem Ambrosius ipse narrat alibi , steisse o-  
rasse , dedisse ceruices , cum in hoc adulterino  
sermone dicatur perfossa repente guttur gladio  
postquam frustra tentata flammis fuisset . Nec  
Augustinus vnquam disputando lacesiuit Am-  
brosium , quod hę litterę habent ex diuerso .  
Et stilus Epistolę minime congruit cum Am-  
brosianę orationis via , pręterquam quod igno-  
tum Ambrosio Pelagij nomen eadem iactat .  
His ego reiectis & abdicatis , videor dempsisse  
probrum Ambrosio , atque adsperfam illius e-  
loquentię labem deleuisse . Scilicet etiam si  
nusquam fuissent , vile damnum erat litterarum .  
Sed angimur grauiore damno , si de commenta-  
rijs in Epistolas Pauli , vera sit coniectura , quę  
abdicare cogat id opus , & minimę degene-  
rem aliõqui vel sapientię , vel eloquentię foetum  
in authorem alium referre . Nam neque Augu-  
stinus petere solitus ab Ambrosio frequenter au-  
thoritates ac testimonia , verbum ex hisce com-  
mentarijs in sua scripta transtulit vllum vnquam ,  
& Pelagius dum cauillatur Augustinum , quod  
Ambrosij testimonia , ceu sacram anchoram am-  
plecteretur , & dum ea nimium ambitiosę con-  
quisita singulatim obiectat , nihil penitus habuit,  
quod

quod hinc esse petiitum exprobraret. Quia etiam cum proferat Augustinus ipse sententiam, quæ totidem verbis extat in illo commentariorum opere, Hilarium quendam eius sententiæ auctorem profert. Inde nouus ambigendi locus, cum duo scilicet Hilarij, quos penes ea stare posset gloria, Pictauiensis nimirum, & Arclatensis, ille prior, hic posterior haud dubiè fuerint ipsius operis ætati. Hæ nimium perplexæ difficultates cum explicari facile non possint, controuersia tota esto relicta nobis in suspensio. Non item affirmauerim ego quicquam, negarimue de Himno, quem soluta in alternas voces ore dicuntur cecinisse Pontifex Ambrosius, & neophitus Augustinus, cum hunc ille per Baptismi Sacramentum ad Ecclesiam adiunxisset. Vtrinque sunt argumenta; sed qui videre frustra nobis quæsitos annales Dattij, tradunt non dubitare tanti nominis scriptorem idque carmen asserere constanter Ambrosio. Propior ille fuerat ab huius ætate, neque sancto fidem aliquis abrogarit. Verum enim verò, ambigua hæc & incerta pars librorum potest accessio minima rursus videri, si cum ea conferatur parte, quæ manet indubitata & certa. Exposito in hunc modum statu monumentorum Ambrosij nunc exponam sacros illius ordines & vniuersum Ambrosiani Pontificatus cultum; Simul Ambrosianæ formam atque descriptionem Aedis exequar, &

conabor custodire meis litteris augustissimi tem-  
pli reliquias, quæ iam vetustati cedunt, ac prope  
fatiscunt ævo. Fortasse enim homines futuri, cum  
refectam artificio splendidiore, & nouissimis ar-  
chitecturæ conatibus eam intuebuntur, vertent  
retro cogitationem, subibitque studium & cupi-  
do contemplandi veteres angustias ex quibus  
amplitudo recens. Quod si cessabit liberalitas,  
neque restiterit sæculis antiqua moles; haud du-  
bie par cupiditas intrabit multorum pectora, &  
auebunt cognoscere pristinam amplitudinem ex  
qua pudendæ angustix ac ruinæ. Scilicet, quod  
nimium iam sæpe repetita querela sumus præfa-  
ti, obscurat demum omnia caligo vetustatis,  
& quæ iam nunc omnibus patent, ea den-  
fissima nox inuoluet; atque tempus erit a-  
liquando cum de tota facie sæculi huius am-  
bigetur sicuti de præteritis ambigimus, & formam  
urbis quâ incolimus frustra posteritas exquiret.  
Sed initio descriptionis huius pauca sunt mihi su-  
pra repetenda de familijs quas Ambrosius in ur-  
bem inuexit, originem & fontem ipsius Cleri so-  
bolemq. Sacerdotum qui tuentur hodie rem Am-  
brosianam. Ambrosius, quo primum tempore  
in Prouinciam venit, duxerat ex Romana secum  
nobilitate viros excellentes ciuilium rerum vsu,  
partim, qui ad varia Præturæ munera obtigissent  
forte, partim quos ipse amicitis constantia, &  
fide

fide spectatos elegisset. Plurima quoque inuentus affectata de more Prætozem fuerat, officio & spe, & parentum missu, scilicet vt insuescerent militia simul & aula, vt honores adipiscerentur, ac demum vt ex contubernio tanti viri meliores redirent: Horum varij fuerant exitus atque in diuersis ingenijs, fortuna quoque multiplex & diuersa. Prouexerat alios Ambrosius ad moueratque summæ rerum; alij detenti fuerant ad extremum vsque in periculo ac experimento; lentæ spei mora displicuerat alicui, redieratque domum, nonnullos etiam in medio honorum cursu immatura mors occuparat. Item in cætera Prætorizæ familiæ parte, diuersa casuum humanorum facies, & omnia fere ambitionis ludibria fuerant versata. Offenderat quispiam, & meruerat suis flagitijs vt in ordinem redigeretur; non nemo captus tædio tam exercitæ vitæ, vltro se abdicarat Magistratu, præoptaratque finem laborum, & quietem. Præterea mortui quidam; interfecti, redacti ad inhabilem senectam; pauci perseverarant in offenso cursu, & integra, vel valetudine, vel fama. Ex utroque numero, Ambrosius; vt quæque probarat maxime, ita maioribus in dies beneficijs ornarat, ac veluti seposuerat sibi, commendaturus apud Principem egregios animos, & subsidia firma Republicæ. Sed ubi finis ambitionis ipsi, & sanctoris vitæ principium

pius fuit, ac voluerant amisso tanquam Pretore  
 redire Romam, scriba, Questor, Accensus, & qui  
 alij, spes tentare nouas monebantur humane cu-  
 pidinis more; varie cum illis agendo nouus Epi-  
 scopus, flexerat, vti Mediolani secum essent, atq.  
 rogarat, ne mutata fortune facie, vel mutatum si-  
 bi animum arbitrarentur, vel ipsi mutarent suum.  
 Ita mansere Mediolani, nobiles adolescentes,  
 graues viri, & aut reliquam ex vetere patria fami-  
 liam illuc exciuerunt, aut duxerunt vxores in noua,  
 daruri postea sobolem Ecclesie Mediolanensi, aut  
 initiati repente sacris, nouam aulam sunt secuti.  
 Hi fuere, Coruini, Crassi, Cicerones, Hortensij,  
 Murenæ, nota veterum Romanorum nomina, que  
 postea familie, corruptis in externum vocabulis,  
 antique appellationis decus amisere. Ex ea so-  
 bole ceteroque vrbis delectu, Pontifex Clerum ip-  
 sum, & multitudinem hanc Sacerdotum, que nunc  
 varijs insignita modis fulget, ita partitus est, ac  
 descripsit. Primum omnium, centum explorate  
 probitatis ac doctrine Clericos in præcipua vrbis  
 templa, que vndecim erant, diuisit. Hi à re ipsa,  
 quod cæteris antestarent Decumani appellati, &  
 quasi Seminarium hoc fuit vnde Collegia Cano-  
 nicorum extiterunt. Argumento est, quod an-  
 tiquissimi Canonici, si quando lis inciderit, haud  
 ferme confugiunt aliò, quam vt se se de classe ac  
 stirpe Decumanorum probent. Hic vniuersæ Ci-  
 uitati

uitati clerus per templa deditus est. Ambrosiano templo, quod maximum omnium erat, super Decumanos, alia separatim descriptione consultum ac prouisum. Duo & septuaginta Sacerdotes numerum Christi discipulorum expleuere, non sorte lecti, neque dignitatibus suis; sed aestimatione virtutis ac sanctimoniam. Ex eo corpore, varias ad partes, & officia delecti, varia simul mysteria Catholicam religionis referebant. Diaconi, Subdiaconi, Notarij, Lectores, & Ferularij, simul Rectores atque Præsides eorum ordinum Primitiarius, & Archipræsbyter, & alia nomina originem hanc habuere. Tunc quoque inuentum, ut curui senes vnà cum paribus ætate mulierculis candidati, & cucullati purum in sacrificia panem ad aram maxime gradus adferrent. Etiam quatuor, & viginti Cardinales eo delectu nuncupati, quorum alia incrementa, & honores in tempore memorabo. Instituit, & reliquit Ambrosius hos ordines in sui nominis Basilica, ex cuius discipline profectu datis viribus creuit Ambrosiana res in eam Maiestatem, ut merito prima post Romanum fastigium numeretur. Scilicet is postea Clerus in templi maximi cultum est translatus, indeque Metropolitana sedes est constituta. Aedem ipsam Ambrosianam vtriusque cleri sedem, Bacchicum principio fuisse delabrum, in quo Populus Mediolanensis fœdum vinolentiam spectaculum



lum exhiberet, haud equidem crediderim famæ, quamuis, obscenæ animalium figuræ, præposterique situs, & alicubi turba vindemiantium, adstruere fidem videntur. Panditur enim aliqui Basilica in crucis figuram, quæ ratio est Ecclesiasticæ fabricæ propria, & vulgata. Fana porro inanium Deorum, vno orbe continuæ, & rotunda ponebantur, cuius quidem structuræ vestigia, tum Romæ, Deorum omnium ædes, tum Mediolani versa hodie in D. Laurentij cultum & nomen, Herculis Cella repræsentat. Eadem ratio conuincit eorum errorem, qui Æsculapij fuisse delubrum affirmauere, sedemque donorum, quæ salutis mercedem ægri sacrabant Deo; vulgum auidum bonæ valetudinis, pro ebrio ac temulento, sobrium id sibi medicumque Numen instituisse. Sed habemus aliam quoque coniecturam, quamobrem, non Baccho, non Æsculapio fuerit honos ea in sede. Nam cum haud longe, inde Christianorum sepulturæ campus, ædesque tantæ religionis, Portiana nimirum, & Faustianana, frequentarentur, non potuit eadem in area stare templum Æsculapij, vel Bacchi. Nunquam id pateretur impotens ac superba Gentilitas, & aut superstitioni suæ sedem mutaret, aut aboleret nostræ religionis monumenta. Propius vero est, Ambrosium ipsum, in omnes diuini cultus amplificandi partes intentum, cum Portiana & Faustianana,

aiana, non sufficerent multitudini, quæ frequēs  
 in illam antiquissimæ religionis aream cœmete-  
 riumque ventitaret; hanc laxiore sinu Basilicam  
 ibidem extruxisse, quæ statim Ambrosiana dicta  
 fuerit ex ipsius conditoris nomine. Certe gra-  
 tissima semper ea sedes illi, & veluti delinimen-  
 tum omnium curarum fuit. Ibi quoque sepultu-  
 ræ sibi delegit locum; ibi tradidit salutis præcep-  
 ta populo, & conuocatis in eam sedem Episco-  
 pis de religione consultauit. Præcipuus ad occi-  
 dentem solem herbida, & spatiosa planitie patet  
 aditus in atrium, quod vndique porticus ambiūt,  
 piarum vigiliarum olim statio, donec vigilias ip-  
 sas licentia mortalium inutiles fecit. Porticus ip-  
 sæ informes ac vastæ, lateritia structura, rudibus  
 columnis, ornatu nullo, nisi quod, ab vno latere,  
 Baptismus Augustini, Alipij & Adeodati rudi pi-  
 ctura cernitur expressus, ab altero, veluti frag-  
 mina corporum durant, reliqua crustatim ab-  
 sumpsit ætas. Hinc ipsius templi facies attolitur,  
 patescitque porta, non illa quidem constructa  
 magnifico sumptu, sed prout ex ruinis idolorum  
 fragmenta suppeditaure. Quippe ab vna par-  
 te læuor, & æquabilitas, ab altera variæ figuræ  
 capreolatim inter se connexæ, & implicatæ, ro-  
 stris inuersis ac præpostero situ. Valuæ sunt è  
 cupresso, tanta crassitudine, quantum arbor illa  
 ferre non videatur, vtrique si nostrates intuerent,

bl

Xx

Sed

Sed alibi cupresseta miræ proceritatis haberi factis constat. Supra portæ fastigium testudineata porticus excurrit, quæ regit vestibulum, frontemque templi permeabilem facit. Id opus vix staret sæculis, geminæ anterides applicatæ, quæ firmitatis multum, decõri parum habent, ac nisi vetustate placerent, in deformem prope vastitatem excedebant. Forma totius Basilicæ nihil à vulgatis differt. Quippe in singulas cæli partes totidem aperta ianuis, & triplici fornice concaemerata ternos pandit sinus, medium amplum, & latum, duos in latera æquabiliter angustiores. Et varietatem hanc ingentes pile discriminant ordine duplici, sic vti totidem utrinque sacella, quot inter columnia per vniuersam templi longitudinem numerare possis. Desinit autem ipsa longitudo crucis in modum, & cruci apicem præbet ara maxima cum Odæo, pretiosum sane opus, & visendum. Quatuor splendoris eximij porphyreticæ columnæ cingunt eam ac tegunt, neque ambigitur, quin ipsius Ambrosij mortales exsuiæ sub ipsa sint conditæ. Paulo ante hanc memoriam, tenebrosissima templi pars hæc fuerat; angustis circa luminibus, & humili tecto; postea cælum aperuere, fastigiumque decoram in amplitudinem extulere, quod imminet Aræ maximæ conuexitate sua, diffunditque toto templo partem lucis, quam excipit, apice summo.

Id

Basilica XX. LX

Id fastigium quâ supra cæteræ modum altitudi-  
nis, initium capit, stant Angelorum ingenia si-  
mulacra disposita paribus interuallis, ea specie &  
habitu, vt niti videantur, Caryatidum instar,  
humeris, & collo, ne suo pondere fatigata moles  
ruat. Ab Arę maximæ septo, gradus in Odęum  
exsurgunt, quo in odęo pieti sedent patres, ordi-  
ne, quo etiam sedere dum ibi concilium habere-  
tur. Ea subsellia sunt disposita bifariam in hunc  
modum. Ab vna parte, cernuntur Episcopi,  
Vercellenis, Nouariensis, Laudensis, Dertho-  
nensis, Astensis, Taurinensis, Augustanus, A-  
quensis, Ianuensis. Ab altera, Brixienis, Ber-  
gomensis, Cremonensis, Intimilienis, Sauonen-  
sis, Albigaunensis, Papiensis, Placentinus, Cu-  
manus. Et manet lapidea sella, reliquis amotis,  
qua in sella, præcipuo loco sedisse Mediolanensis  
Antistes intelligitur. Hæc est forma totius Aedis  
Ambrosianę, quam maiorum nostrorum memo-  
riã. Ludouicus Sfortia, non quidem immutare,  
sed contra temporis iniuriam munire destinarat.  
Mors interuenit, inchoata porticu, quam colum-  
nis, & descriptione tota parem animo principis  
illius dicas. Est in Ambrosiana æde anguis æneus,  
quem trifulca micantem lingua, & ferociter ar-  
rectum, columna vetustissimi operis attollit. De  
initijs ac origine monumenti huius diuersa tra-  
duntur. Vulgus imperitum insigne hoc ipsius

Aesculapij diu credidit esse, cum eam famam accepissent sine capite, & authore. Ac paulò ante hanc memoriam, superstitionissime muliercularum, partus suos, vbi languor incidisset, statuebant ante illud simulacrum, cum vim ei metallo diuinam, & salutiferam inesse, veluti tradita per manus opinione persuasum haberent. Alius. Quendam huiusmodi fabulam orditur. Cum nocturni fures, Ambrosiani Templi thesauros expilarent, colubrum excitatum repente diuinitus ex humida obscuritate proflixisse. Eum, cum horrifico sibilo ac stridore minaci discurrentem, & assultantem absterruisse sacrilegos, sic vt manus ipsis ad rapiendum obtorpescerent; hoc nunc rei monumentum extare. Fama constantior in hunc modum habet. Arnulphum Archiepiscopum, quo tempore Nicephorus, filiam suam Othoni Tertio dispondisset, missum à Gregorio Pont. Max. celebrasse nuptias eas, & deduxisse. Inde, cum defunctus legatione, Mediolanum esset rediturus, omni per hilaritatem exposita gaza, comiter cum inuitatum à Nicephoro, vti tolleret aliquid, & adsportaret. Tunc Antistitem, deposito vicissim annulo, quem gestabat, sustulisse anguem hunc æneum, conflatum scilicet ex eo metallo, ex quo salutiferum pari magnitudine serpentem, diuino quondam iussu Moses erexit languenti per solitudines populo.

pulo. Hæc pro suo quisque sensu credent homi-  
nes, aut non credent. Media regione templi, ea  
stat columna, contra quam ex altera parte cer-  
nitur imago Christi pendentis è Cruce, inclita  
Pontificum indulgentijs, & lumine perpetuo.  
Par decus, & honor alteri ad meridiem imagini,  
quæ refert Ambrosium, inueterata scilicet opi-  
nionè, germanum illud os, natiua illa esse Pon-  
tificis lineamenta, vulgoque pictores eos vultus  
emulantur, qui quidem accedere proxime ad ve-  
rum student. Lapidèus suggestus, ex quo sacre  
periochæ decantantur, pars olim fuerat regij tu-  
muli, cui Beati Mansueti tumulus cohæret; ma-  
gnificum sane opus, & sumptuosum statuis, &  
sigillis, & ipso marmoris nitore. Tumulus Mar-  
cellinæ visitur in Aede subterranea, prægrandis  
arca nimirum, & huic inædificatum altare, quod  
Ioannes Antonius Antistes quondam Aedis, ac  
ex eo gradu purpuram adeptus, posuit, & ne-  
cessarijs ad sacra faciunda vestigalibus instruxit.  
Tota demum circumiecta planities, et campus  
vniuersus, illustra monumenta præfert antiqui-  
tatis, et habet minora passim Sacella, quæ Basilicâ  
veluti stipant, & cingunt. Ad orientem solem,  
non longe ab Decumana porta, cernitur Archan-  
geli Michaelis ædes, frequens olim Ambrosio,  
postea cætui Sacrarum Virginum attributa. In  
meridietate est edicula Virginis Deiparæ, quam

Faba-

Fabagrecam vulgus appellat, sed vetus inscrip-  
 tio, inditum id ex egrorum tutela cognomen do-  
 cet, indeque periti, fauentem, agris Marianis  
 nuncupauere. Ibi sita sunt corpora, Sigismundi  
 Regis, & Pontificis Desiderij, quorum vterque ex  
 ea fortuna, & loco, maiorem inuenere fortuna-  
 nam, vt inter Christi Martires adsumerentur. In  
 Monachotum hortis ædícula Diui Remigij, quam  
 stata quotannis luce Populus it visere, veneran-  
 do ibi ac recolendo vestigia Patris Augustini,  
 & mirificæ conuersionis initia. Quippe locus  
 hic est ille, in quo fluctuantem ipsius animum,  
 quasi puerilis e cælo vox audita confirmauit, ma-  
 nerque loco miraculi monumentum cognomen  
 ipsum è ficu, sub qua forte stratus, & ingemi-  
 scens Augustinus accepit diuinum atque saluti-  
 ferum illud, TOLLE LEGE. TOLLE LEGE.  
 Inde per Monasterij claustra modico diuerteu-  
 lo ad lauam occurrit Aedes ipsa D. Satyri, quæ  
 videtur olim propria fuisse Monachorum, & vnag  
 scilicet vt finibus illis inclusi nihil in ipsa Basili-  
 ca iuris haberent. Ex ea rursus in Basilicam de-  
 scendunt, ac egressi Septentrionali porta, fle-  
 ctunt in aliam ædiculam Augustini. Creditur  
 id esse solum in quo Pontifex Ambrosius ho-  
 spites Africanos vitalibus aquis expiarit. In  
 Basilicam hanc Ambrosianam obtinent iam inde  
 à principio Prepositus, & Canonici soboles ni-  
 mirum

mirum, & propago Sacerdotum eorum, quos  
Diuus Ambrosius nomine Decumanorum insi-  
gnes reliquit. Namque Decumani, manente  
gradu & ordine, in quo fuerant constituti, mu-  
tauerunt sepius appellationem, donec eam inuen-  
re, quam nunc tenent. Modò Custodes & Officia-  
les honorifico nomine modo Præsbyteri dicti,  
pari semper tamen auctoritate, & gradu rem ibi  
diuinam administrare; sicuti grauisimis litte-  
rarum monumentis constat, quæ litteræ Basilicam  
Ambrosianam disertè nominant, discriminis cau-  
sa. Sedem eam Ambrosij corporis appellantes.  
Cella nominis eiusdem quæ ibi posita est in vici-  
no, fueratq. priuatum & domesticum diuini Pon-  
tificis Oratorium, sic distinguitur, ac notatur.  
Postea Petrus Oldradus Mediolanensis Archiepi-  
scopus, augendo cultum, Monasterium ibidem  
ædificauit, inductisque Monachis templi vsum  
attribuit, vt quotidie cum suas laudes Canonici  
perfoluissent, exciperent ipsi pium munus, &  
quam minima intermissio fieret psalmodiæ.  
Propriam quin etiam & separatam hõs ipsos ha-  
bere cellam voluit, non precariam illam tan-  
tùm & commodatam. Ea fuit Aedes, quam  
Diaconus Fortes obtinebat, isque libenter, &  
eodem ipsam, & adiuncta tecta, & vectigalia fru-  
ctusque Monachis in Archiepiscopi gratiam con-  
cessit. Adeo diuersi per ea tempora mores homi-



num Ecclesiasticorum fuerunt, atque nunc uiu-  
 tur; nec Oldrado, ut destinata perageret, vel sus-  
 scipende lites fuere, vel auarus, & contumax ani-  
 mus leniendus emolumentum maioris dulcedine.  
 Hec igitur largissimi Fortis possessio, in victum,  
 & cultum, domiciliumque Monachorum cecidit  
 absque vlla exceptione, integra, & plena & per-  
 rennis. Ceterum, non Canonici, non Monachi  
 habuerant initio splendorem ac dignitatem eam,  
 quam postea sunt assecuti. Concessere vtrisque  
 diuitias & ornamenta, Reges, Cæsares, Pontifi-  
 ces, & tam hic, quam ille ordo creuit in eam  
 amplitudinem, ut iure stent inter primos, nec  
 moleste ferant honestissimi ceterorum ordinum,  
 Ambrosianos equiparari sibi vel anteponi. Ad  
 Monachorum quidem, priuilegia, & tituli suis  
 locis explicabuntur; Canonicoꝝ illustra &  
 nota omnibus hec extant. Cæsatum esse con-  
 uiuas, & mystas, inter Apostolicæ Sedis Nota-  
 rios censerit, ut eodem ad sacra corporis orna-  
 tu, quem Romæ Canonici Diui Petri solent ad-  
 hibere. Ea Rodolphus Imperator, & Pius  
 Quartus secuti Collegij merita, vel sanctimo-  
 niam Authoris, vel vtrumque simul, indulserunt.  
 Nunc temporum atque rerum ordinem repe-  
 temus, initio tristi, narrando scilicet atroces ca-  
 sus, & damna que seuiente pestilentia hos annos,  
 urbem Ecclesiamque nostram afflixere, tanta cla-  
 de,

de vt, prope finem adesse rebus appareret. Rara primò, & tamen solito; crebriora funera suspicionem eius mali fecere, statimque funeste domus, reprimendæ contagioni, solita magistratum cura custoditæ & clausæ, ne commercio villo cum cæteris miscerentur. Mox patuit inane remedium esse, atque increbescente paulatim peste, tota ciuitas ab humanis conatibus ad cælestem opem inaocandam est auersa. Sicuti sunt faciles ad pietatem in calamitate morralium animi, variæ supplicantium formæ, varijq. precautum habitus erant. Priuatim inedia & sacco, & fletu, publice rebus diuinus & effusa in pauperes liberalitate propitiare Nūmen conabantur. Sed arcano diuinæ prouidentia consilio, statutū credo erat, temeratam flagitijs vrbem exhaurire, donec proles innocentior succederet, datura postea stirpem & ciues vrbi, qui memores auitæ pœnæ, sese Mediolanensis Ecclesiæ disciplina, & Ambrosiano nomine dignos præberent. Ita preces quoque quia non exaudiebantur, intermissæ tanquam inter desperatos, & pestilētia libero cursu, per nobilia, per obscura capita peruagabatur atque fēdissima rerum facies erat. Per templa, per vias, inter mensas & mutua colloquia, cadebant omnis ætas, omnis ordo, sexusq. nec vllos, aut amœni secessus, aut multifariam quæsitæ remedia defendebant ab occasu repentino subi-

taque morte. Ulcerabantur corpora plagis inu-  
sitatis, quales nunquam antea visas fuisse memo-  
rabant periti veteris memorię, vel quibus cura  
noscere mortalium morbos & varia corporis hu-  
mani vitia casusve. Ea ulcera non secus atque  
certissimi nuntij mortis accipiebantur, & confe-  
ctim insidens animis omen ipsa sequebatur res.  
Post breue tempus expirabant, quibus corpus  
in eum modum exulceratum fuisset. Quod si qui  
optime valentes & integri cum vitiatis & affectis  
sermonem fortè consociassent, extemplo traher-  
ent hi quoque contagionem, & cum illis ipsis in  
mutuum exitium implicabantur. Neque id mo-  
dò periculum erat; sed etiam, vbi vestis, vel res  
alia quępiam pestifero corpore contacta tracta-  
retur, illico manabat lues, & qui modò vegetus  
alacerq. conspectus fuerat, is repente exanimis  
concidebat. Ita pene interciderat fortis huma-  
næ commercium, cum alter alteri nullam ferre  
opem possent; non fratrum aut sororum, non libe-  
rorum, & coniugum vlla ferme cuiquam erat cu-  
ra. Tunc miserimi ciues relicta vrbe, tutissimum  
vt in malis existimauerunt, nouas extra mœnia  
sedes quærere, ac experiri, num ibi minus iratum  
habere cęlum possent. Fixere sibi passim tugu-  
riola vilesq. casas e paleis, vti nostra quoque me-  
moriam fuisse factitatum scimus; & breui tempore  
circumiecta mœnibus arua nouę simulacrum vr-  
bis

bis erant, vrbs ipsa in agrestem propè faciem ve-  
stiebatur infelicibus herbis. Cùm igitur ab om-  
nibus fere migratum illuc esset, noua Mediolanè-  
sum scelera, cęlestes magis adhuc iras irritauere,  
quodque salutis fore principium sperarant, id ip-  
sum causa nouę calamitatis fuit. Nam quasi, vel  
spernerent supplicia, vel in tam funesto rerum sta-  
tu ipsi quoque superis irascerentur, nulli parce-  
bant rei, quam ferret licentia mortalium & libi-  
do. Prodigii vitę, voluptatum appetentes con-  
temnebant pericula, & quacunq. in parte cupi-  
tum sibi aliquid viderent, tanquam in suam do-  
mum ingrediebantur, & libidinem explebant.  
Neque quisquam obuiam ibat, cùm omneis, quasi  
non vltra victuri, seq. & sua & suos ponerent in  
derelicto, sinerentq. prædam esse cupiditatis alie-  
nę. Neque metus legum obstabat, cùm clarissi-  
mi viri custodes earum, aut essent mortui per eos  
dies, aut morte collegarum attoniti pares horre-  
scerent casus, suarumq. rerum essent, amissa pu-  
blica. Non publici serui, non carcer, non ma-  
gistratus vincula licentię erant in vrbe. Sic fla-  
girijs incrementibus irę cęlestes crescebant, iãq.  
plures in agro quàm nuper ante migrationem  
exanimabantur. Interea soli Sacerdotes, eo spi-  
ritu, quem ex Ambrosij potuerant institutis hau-  
rire anxij simul & mœsti fungebantur officio suo,

& quanquam in tanta rerum perturbatione intermississent solita munia, solennesq. supplicationū ritus; non tamen desinebant coercere peccantem populum instaurare sacra & concionando passim e superioribus locis & mapalibus oberrando, alijsq. præterea conatibus qui non omnes in historiam peruenere. Sed non ideo malum auerrebant, fuitque tanta mortuorum multitudo, quantam hic amplissimæ ciuitatis populus, & pauperrimæ turbæ colluies ferme ad desperationem prona, & in vitæ tædium facilis potuit exhibere. Hi passim destituti necessario ministerio, & omni ope quæ fouendo atque alendo foret corpori, simul intestina tabe, simul fame malorum extremo consumebantur. Nec diuites agebant diuersa sorte. Nam dilapso famulatu, soli solis in tectis relinquebantur, nullo res necessarias administrante, nisi si quem, aut rapiendi libido, aut ab stolido ingenio periculi contemptus reliquum fecisset. Multæ clarissime stirpes exhaustæ ac deletæ, multæ vacuæ domus, & in celeberrima nuper vrbe, tanta facta solitudo, vt residues paucos prope vitæ tædium caperet, attonitique & confusi, mortuis inuiderent magis, quàm vicem eorum miserarentur. Incunte Martio sauire cœperat pestis, exeunte Augusto, eadem est repressa, & circumactio grauiori tempore anni corpora ciuium cœperant

perunt esse salubriora; Paulatim inde subolescente  
 rursus vrbe, noua Mediolanensium ora, nouique  
 vultus apparere, & post aliquot annos,  
 tum vrbs ipsa celebritatem suam, tum  
 agricultum & nitorem & amec-  
 nitatem suam recepere.

Non perinde res Ec-  
 clesiastica re-  
 dire po-  
 tuit

in pristinum statum. Aded

decrant, & auctores, ac

magistri discipli-  
 nae, & qui

se

ad illud vitæ ge-

rus aggrega-  
 rent.



penitentie salubris: Paratim inde si hoc scilicet  
nuda videat: non Medicamentum est, nonque  
vultus aperire, & post aliquot annos  
vultus videat: salubrem suam cum  
sua signum de nitorum & omnia  
de in nitorum suam vultus  
non penitentie res sic  
etiam res  
de po  
tunc

in p[ro]fessionem suam. Adde  
decretis, anctoris, ac  
magistri digni  
ut, & qui  
sic

ad illud vult  
sua regere  
tunc







